


## LIB. I. DE EIUS FINIBUS.

3

tem hodieque residuam spectat, quam NIGRAM SILVAM appellamus, a finibus *Helvetiorum*, *Nemetum* & *Rauracorum*, iuxta CÆSAREM, ortam, quamque solam illustrare hoc suscepimus commentario.

III. In charta *Peutingeriana*, seu tabula *Theodosiana*, *Alamanniam* inter & *Rhenum* recta se sistit silva *Marciana*, prout ex illa regionem hanc æri incisam hic exhibemus.



In ea ad latus dextrum seu litus nostrum cis-*Rhenanum* primus occurrit locus *Tenedone*, ubi via notatur per *Rhenum* a *Vindonissa*, quam certam habemus in *Windisch*, leuca circiter a confluentia *Arolæ* & *Rheni* distante. Nomenclaturæ huius *Tenedone* vestigium quoddam superesse videri posset in *Thiengen* dialecto *Suevica*, quæ *e* vocalis cum *i* iungi aut permutari solet. Est autem *Thiengen* oppidum seu arx veterum comitum de *Sulz* ad torrentem *Wutach* in pago *Cleggovia*, haud procul a *Rhen*, *Zurzachium* versus, ubi pontium rudera quædam ad *Rheni* ripam reperiri iam in itinere nostro *Alemannico* monuimus, licet ea posterioris esse ætatis suspicati. Nihil tamen hic præiudicamus, nec refragamur *CLUVERIO*, cui *Tenedone* videtur esse *Dengen*, seu *Tengen*, aliud oppidum cum castro in *Hegovia* & comitatu *Nellenburgico*, qui ad lacum *Acronianum* protenditur. Ad eundem lacum propius in tabula *Theodosiana* notatur *Iuliomagum*, quod magis oppido *Pfullendorf* congruit ex sententia *RHENANI*, quam *Dutlingæ*, quod videtur *CLUVERIO*; cui etiam *Brigobanne* in eadem tabula est oppidum *Beyren* ad litus *Danubii* in *Suevia*. Sequuntur *Arae flaviae*, *CLUVERIO* *Auracum* in *Wirtembergia* oppidum, quas alii tamen de *Nordlinga* vel *Ulma* accipiunt.

Ultra vero sese extendit *Silva Marciana* in sæpe laudata tabula *Theodosiana*, e regione scilicet *Vermania*, quam putant esse *Wangen*. *Sueviæ Rhatice* seu *Vindeliciæ* oppidum, contra tabule *Theodosianæ* fidem, in qua *Vermania*, versus orientem gradiendo, nequaquam ad septentrionale,

A 2

nale,

German. antiq. lib. III. c. 4.